



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

2. Olim Campvs Erat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

no V. Pont. Max. An. 1429. viii. Kal. Decemb. Pontif. ejus
 An. 13. clam impetratis *UNIONIS* literis, diœcesin Pader-
 nam Coloniensi conjungere & subiçcere studuerit. Sed hæc
 illius molitio frustra fuit, siquidem Eugenius IV. Pont. Max.
 ab universis Paderbornensis diœcessis ordinibus de vero
 Ecclesiæ statu certior factus, hanc *Martini unionem* mala fide
 quæsitam, diplomate suo An. 1431. vi. Kal. Iulij Pontif. An.
 1. rescidit, & Ecclesiam Paderbornensem Antistitis sui frau-
 de circumventam in integrum restituat.

2. OLIM CAMPVS ERAT. Quem Vita Caro-
 li M. apud Pithæum. *Sinitfelt*. Annal. Franc. incerti aut.
 apud eundem. *Sinifelde*. Annal. Fuldenf. *Sinitfeldt*. Astron.
 apud Reuberum. *Sintfelt*. Adelmus. *Smetfeldum* pro *Sinet-*
feldum. Regino. *Finisfelt* pro *Sinisfelt*. Poëta Anonym. *Si-*
northfeld. Diploma S. Henrici regis IV. Id. April. An. 1011.
 datum, de Comitatu Hahold Comitis venerabili *Meinvverco*
Epis. Paderborn. donato, & sito in locis *Haverga*, *Limga*, *Thiat-*
malli, *Aga*, *Paterga*, *Treveresga*, *Langeneka*, *Erpesfelt*, *Silbi-*
ki, *Matfelt*, *Niterga*, *SINATVELD*. &c. Item literæ Theo-
 dori de Herse An. 1445. de donatione bonorum in devastatis
 pagis, & marcis in *SENTFELDE*, in *Haren*, *Knickenhagen*,
VVulfsen. Et literæ Stephani, Geraci, & Theodori de
 Malsborch, de decima vastati pagi *Ostelrein* in *SENTFELDE*
 An. 1481. date, *SENTFELDE* appellant. Vnde, cum hodier-
 num nomen *Sentfelt* ab antiquo parùm discrepet, miror Rei-
 nerum Reineccium eruditissimum cæteroquin scriptorem,
 & Paderbornensium locorum, utpote qui Steinhemij ad
 Ambram natus fuit, haud dubiè gnarum, in notis ad Poë-
 tam Anonym. *Sennam*, Paderbornensis & Lippensis ditio-
 nis vastum desertum, pro *Sintfelt* interpretatum. Pari errore
 labitur

labitur Henricus Hovelius in speculo Westphaliæ veteris MS. Qui *Sintfels* in Delbrugia collocat. Quid vero illud *Sinit*, *Sini*, *Sinet*, *Sinot*, *Sinat*, denotet, equidem nescio. Bernardus Mollerus lib. 5. de Rheno, à synodo, quæ nostratisbus hodieum *Sent* dicitur, unde *Sentgericht*, hoc est, judicium synodicum, hoc nomen deducit; quasi Quintilius Varus, qui *jurisdictionibus, agendisque pro tribunali ordine trahebat astiva, jus ibi dixerit*; sive antiqui nostri Saxones conventus egerint, quandoquidem prope hinc abest Eresburgum, Irmensulæ olim cultu celebre, & munitissimum Saxoniæ propugnaculum.

3. **QVO PRÆLIA SAXO MINATVS.** Saxones etsi tot prælijs, tot cladibus fracti, identidem tamen Francorum jugum excussere, quemadmodum *victores victique nunquam solida*, ut Tacitus ait hist. lib. 2. c. 7. fide coalescunt. Quare teste Astron. apud Reubarum An. 794. Rex bipartito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidia parte copiarum ab Australi parte intraret; Carolus verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam traiiceret, & in eandem regionem ab occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo, qui *SINTFELT* vocatur, quasi præmium cum rege commissuri consenserint, ibique adventum ejus opperirentur, amissa victoria spe, quam sibi paulo ante falso pollicebantur, ad ditionem omnes conversi sunt, victique sine prælio, victoris potestati se subdidérunt. Dederunt igitur obsides, & jurejurando fidem regi velleservare promiserunt. Eadem, sed brevius, narrat Vita Caroli M. apud Pithæum. Saxones autem congregati præparaverunt se ad bellum in campo *SINTFELT*, sed cum audissent se ex duabus partibus esse circumdatos, timore pleni promiserunt se esse Christianos, & fideles Domino regi

4. **SED**